

2
6
DISSERTATIO
INAUGURALIS JURIDICA

DE
Remediis Possessoriiis

QUAM

B. Virgini sine nævo conceptæ, ejusque Sponso
S. JOSEPHO, nec non S. VITALI dicatam

PRÆSIDIBUS

*Prænobilibus, Clarissimis, Consultissimisque Viris
ac Dominis*

D. GERARDO ERNESTO HAMM
J.U.D. Professore Ord. & Publico, Veneran-
dæque Facultatis Juridicæ Dictatore.

NEC NON

D. GUILIELMO DE MONTE
J.U.D. Professore Ord. & Publico, ejusdémque
Facultatis Fisco.

PRO

*Consequendâ in utroque Jure Summi Gradûs Licentiâ in publico
Juris Auditorio.*

PROPUGNABIT

MAXIMILIANUS HENRICUS WÜNSCH
Agrippinas

Perillustris Collegiatae Ecclesiæ B. M. V. in Capitolio Vicarius.

Anno 1751. die 31. Mensis Augusti.

Coloniæ typis GEREONIS ARNOLDI SCHAWBERG.
Cum Privilegio Venerand. utriusque Juris Facult.

DISERTATIO

IN

ARTIBUS

LIBER

PRIMUS

DE

ARTIBUS

LIBER

PRIMUS

DE

ARTIBUS

LIBER

PRIMUS

DE

ARTIBUS

LIBER

PRIMUS

DE

ARTIBUS

LIBER

PRIMUS



Fragment of text from the adjacent page, including decorative elements and some legible words like 'prospici', 'curum', 'prop', 'E po', 'trus', 'Bacter', 'mac', 'ruba fr', 'ur: rci'.



Um maximè possessionis gratiâ Prætor Romanus interdicta proposuerit, erant namque *formæ aut conceptiones verborum*, quibus aut jurebatur aliquid fieri aut fieri vetabatur, maximè cum de possessione aut quasi possessione contendebatur: *pr. Inst. de interd.* hinc, ne possessionis materia in singulis interdictorum speciebus dispersim aliàs attingenda confuso ordine pertractetur, eandem speciali capite collectam pro meliori æquè ac faciliori infra dicendorum intellectu & feliciori intellectorem usu in unum conspectum proponendam censui, præmittendâmq. Sit itaque,

CAPUT UNICUM.

DE possessionis definitione, divisione & reliquis ad eam pertinentibus.

§. I.

PRætermisâ circa hujus vocis: *possessio*: etymologiam grammaticâ controversiâ, an à sedium, an à pedum positione derivanda sit, ab ipsius rei definitione exordior, rectè autem describitur; rei corporalis detentio eam sibi & suo nomine habendi, *L. I. §. 3.*

l. 41. ff. de A. vel A. P. Struv. exercit. 42. Th. 3. eod. Generis locum obtinet detentionis vocabulum, hoc enim non modo veris possessoribus, sed & nudis detentoribus E. C. commodatariis, depositariis, colonis &c. accommodatur, quos alienæ duntaxat possessioni ministerium exhibere, explorati juris est. *L. 17. ff. de depos. l. 8. ff. de commod. l. 3. §. 20. & l. 30. §. 6. ff. de A. vel A. P.* Dicitur *rei corporalis*, quia res incorporales naturâ suâ possessionem non recipiunt, ac proinde quasi possideri *l. 10. ff. si servit. vind.* Et interdicta earundem nomine competentia quasi possessoria dicuntur *l. ult. ff. de Servit.* Per reliqua definitionis verba, quæ differentiæ rationem habent, personæ jam memoratæ à possessione luculenter removentur.

§. II.

PRæcipua ejus divisio petita ex *l. 1. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 13. §. 1. ff. de publ. in rem act.* Est in civilem & naturalem. Civiliter possidet, qui affectu & opinione Domini justâ ex causâ & bonâ fide rem detinet. Naturaliter, qui injustè aut absque animo Domini possidet. Ita *Vinn. Select. quæst. lib. 2. cap. 36. Struv. exercit. 42. th. 6. & seqq. de A. vel A. P.* Possessio civilis dicitur non à modo possidendi sed à plenissimo juris effectu nimirum usucapione; quemadmodum obligatio à principali suo effectu Sc. actione, civilis appellatur. Utraque vel jure vel corpore constat. *l. 10. Cod. de a. vel a. P.* Jure constat, quæ absque ullo corporis ministerio solo animo retinetur *l. 3. §. 8. l. 46. ff. de a. vel a. P.* Corpore autem; cum quis suo vel alieno corpore rei incumbit. *L. 3. cit. §. 12.* Prior ab aliis civilis, posterior naturalis vocatur; sed hanc locutionem meritò rejicit insignis Vinnius, ut perplexis obnoxiam disputationibus & inconvenientiis, sequeretur enim, inquit prælaudatus Author, eum, qui è fundo egreditur, naturalem suam possessionem non retinere, sed eâ amisâ acquirere civilem, & mox regres-
sum

sum hac iterum amissâ recuperare priorem; ita intra breve spatium creberrima accidet possessionum metamorphosis; quod à ratione juris quàm maxime alienum est; neque enim præsentia aut absentia possessionis mutat ipsius possessionis speciem. Unde in proposito per discessum nova non acquiritur, sed prior animo retinetur *l. 4. Cod. de a. vel a. P.* Tantum modus possidendi diversus est, alius jure, alius corpore consistens *l. 10. cit. . . .* Ex his sequitur civiliter possidere (1) B. F. possessorem *Inst. §. 35. de rer. divis.* (2) Ipsum rei Dominum non quàm talem, sed quatenus rem detinet animo Domini; nihil quippè commune habet possessio cum proprietate & hæc duo adinvicem separari juris analogiæ non contrariatur. *L. 12. §. 1. ff. h. t. Struv. exercit. 42. th. 6. Lauterb. §. 10. h. t.* Naturaliter verò possidere, *Usufructuarium l. 3. §. 13. ff. unde vi. l. 4. ff. uti possid. Creditorem pignoratium l. 13. ff. de usucap. Emphyteutam l. 15. ff. 1. ff. qui satisd. cog. licet huic juxta lauterb. loc. cit. ratione juris Emphyteuticarii non incongruè quasi possessio civilis attribuat.* Controvertitur de sequestro, an & qualem rei sequestratæ possessionem consequatur? DD. communiter affirmant, in sequestrum tunc demum transire possessionem naturalem, si omittendæ possessionis causâ ex partium voluntate res sit deposita, *juxta l. 17. §. 1. ff. de depos. & l. 39. ff. h. t. Zoes. n. 35. ff. de dep. struv. exercit. cit. th. 7. Lauterb. §. 9. h. t. Strik. in Caut. Cont. Sect. 2. cap. 3. §. 20.* Sed quid si non constet, quàm mente res fuerit deposita? in hoc dubio distinguendum censeo, an super possessione, an verò de rei proprietate sit contentio; ita ut in primo casu ipsa possessio censeatur deposita, & consequenter in sequestrum translata, in altero autem magis custodiæ & securitatis gratiâ res præsumatur sequestrata. *Brumm. ad l. 17. ff. de dep. Bach. Vol. 2. Disp. 21. th. 4. lit. F. Menoch. remed. retin. poss. 3. n. 87. & seqq. & c.*

§. III.

Acquiritur possessio animo & corpore conjunctim *l. 3. §. 1. l. 23. ff. h. t.* ita ut neque solus animus absque actu corporali, neque corpus destitutum voluntate possidendi sufficiat. *L. 1. §. 1. ff. h. t.* animo non nisi nostro, corpore etiam alieno *l. 3. §. 12. l. 18. ff. h. t. l. 53. ff. de acq. rer. Dom.* quoniam in iis, quæ corporis ministerio geruntur, nihil interest, nostro an alieno corpore utamur *l. 1. §. 20. ff. h. t.* Modi autem, quibus possessionem nanciscimur, præcipuè duo sunt, apprehensio nimirum & constitutum possessorium: per illam non necessariò intelligitur actus crassior operâ manuum aut pedum interveniente expediendus, sed quilibet actus corporalis juris interpretatione apprehensionis naturalis vicem sustinens *l. 1. §. pen. l. 18. §. 2. l. 51. ff. h. t.* Priori modo verè & naturaliter possessio quæritur, posteriori fictè & civiliter. Sic non tantum per apprehensionem mobilium, ingressum aut inductionem in res immobiles, sed etiam per nudam custodis appositionem, rei signationem, clavium traditionem, imo solo visu & aspectu possessionem acquiri apertè traditur *in l. 1. §. pen. l. 18. l. 51. ff. h. t. l. 74. ff. de contrah. emp.* Per hoc, nempe constitutum possessorium (quod est actus, quo possessor se alterius nomine rem deinceps possessurum constituit) veram possessionem transferri in constitutarium, satis colligitur *ex l. 18. ff. h. t. §. l. 77. de rei vind.* & cum communi docent *Brunn. ad dict. l. 18. n. 1. Coler. de proc. exec. p. 1. cap. 10. n. 182. Menoch. adip. poss. remed. 5. n. 36. Strick. in us. mod. de pign. act. §. 1.* Fit autem vel expressè vel tacitè: expressè, si quis verbis declaret se rem alieno nomine deinceps possessurum: tacitè, si quis rem alienatam ante traditionem à constitutario conducatur, usum fructum sibi reservet, aut roget, ut rem penes se adhuc existentem possidere liceat. Hactenus de rerum corporalium possessione, servitutum aut aliorum jurium quasi possessio quomodo acquiratur, breviter subjungendum. Requiritur autem præter animum acquirere

rere volentis (1) exercitium illius juris. *Panorm. in c. 3. n. 22. de caus. poss. & propr.* seu ut Baldus *in l. 2. C. de Servit. n. 10.* Loquitur, actus corporalis congruus, in quo jus ipsum repræsentatur, E.C. in servitutibus usus servitutis eundi vel pascendi &c. in jure eligendi aut præsentandi, actus electionis aut præsentationis. (2) Ut exercens hujusmodi actus, iis uti intendat tanquam jure suo & proprio *l. fin. ff. quemad. servit. &c.* Siquis enim alieno nomine aut familiaritatis gratiâ utatur servitute aut alio quodam jure, tunc utens quasi possessionem minimè acquirit, sed is, cujus nomine & gratiâ utitur, eandem retinet *l. 20. ff. dict. t. l. 9 ff. h. t. Ripa ad C. cum Ecclesia X. de caus. poss. & propr.* (3) Talis actus fuerit quietus, necesse est; Unde si ansam liti dederit, nullius erit momenti, & pro attentato haberetur, si quis lite motâ talem actum continuare vellet. *Innoc. in C. laudabilem ut lite pend. Mev. p. 2. decis. 188.* Ansam verò liti dedisse censetur actus, si adversarius propterea vel statim ad judicium provocaverit, pignorationibus utatur, aut verbis solum contradicat, *Cravet. Conf. 400. n. 8.* Sola enim verbalis contradictio conservat alteri possessionem, & efficit ab alio non acquiri *Anchor. in C. sine possessione de R. l. in 6. Mev. p. 3. decis. 91. & p. 4. decis. 97. n. 5.* Quot verò actus requirantur, ad hoc, ut quasi possessio censeatur acquisita, non est adeò expeditum. Omis-
 sis variis DD. opinionibus sustineo in servitutibus negativis, quæ in prohibendo consistunt, unicum actum, nimirum unicam prohibitionem cum patientiâ adversarii sufficere. *Schneid. ad §. possidere n. 126. Gail. 2. Obs. 69. n. 15.* Idem quoque obtinet in servitutibus & aliis juribus affirmativis, iis nempe, quæ ratione amicitix haud facilè concedi solent, neque in naturali facultate jure gentium permixta consistunt, sed ex præcedente quâdam obligatione possidentur, veluti aquam ducere per alterius fundum, jurisdictionem exercere &c. sic ad quasi possessionem exercendi jurisdictionem, eligendi, ad beneficium præsentandi, acquirendam, sufficit, semel actum meri imperii exercuisse, semel interfuisse electioni dan-
 do

do suffragium, præsentatum ad beneficium semel ab Episcopo admissum fuisse. *Schneid. loc. cit. n. 127. Post. de manut. Obs. 18. n. 16. & Obs. 32. n. 16.* quoniam in istis præsumendum est, quod utens cum patientiâ Domini intendat uti jure suo. *Abbas in C. cum Ecclesia X. de caus. poss. & propr.* Contraria præsumptio subintrat in servitutibus & juribus, quibus uti solemus jure familiaritatis, gratiæ, aut cujusdam facultatis naturalis, veluti ire per alterius fundum, aucupium exercere, venari: hinc plures & continuati actus requiruntur, ex quibus verisimiliter colligi possit, utentem non ratione amicitiaë aut libertatis naturalis, sed jure suo actus illos exercuisse, *Arg. l. 1. §. 3. de itinere actuque priv.*

§. IV.

Possessio quemadmodum juxta dicta acquiritur corpore & animo simul, ita multò magis eisdem retinetur *l. 19. §. 1. ff. h. t.* & corpore pariter non solum nostro sed etiam alieno, nimirum per omnes, qui nostro nomine sunt in possessione, puta colonos, inquilinos &c. *l. 3. §. 8. & 12. l. 9. ff. h. t.* animo quoque solo possessio retineri potest, licet hic in acquisitione non sufficiat *l. 3. §. 7. & 11. ff. h. t. l. 4. Cod. eod.* modò facultas proxima rei suæ incumbendi haud sit adempta. *L. 3. §. 8. l. 7. & 18. §. 3. ff. h. t.* id quod receptum, quoniam possessio semel quæsitâ jus possidendi parit, quo retento ipsa quoque retinetur, & hinc plurimum juris habere dicitur *l. 49. ff. h. t.* licet quod ad usum multum facti participet *Lauterb. h. t. §. 4.* Acquisitio verò tota penè facti est *l. 1. §. 3. ff. h. t.* sive ut alibi dicitur, plurimum facti habet *l. 19. ff. ex quib. caus. maj.* Sed & alias quod semel acquisitum est, faciliùs retinetur, quàm acquiritur, ut patet consideranti & constat *extot. tit. de acq. rer. Dom.*

Non incongruè hic quæritur, an animo possessio retineatur, si illi, qui alieno nomine rem tenent, citra voluntatem Domini dese-

deferendæ possessionis causâ spontè discesserint, aut possessionem alio modo neglexerint? De hoc olim ingentem Sabinianos inter & Proculianos contentionem fuisse, colligitur *ex l. 31. & 40. §. 1. ff. h. t.* quam controversiam Justinianus *in l. fin. Cod. h. t.* tollit definiendo, desidiam aut dolosam possessionis prodicionem hujusmodi personarum nihil penitus præjudicii Domino generare; Sed an huic decisioni insistendum etiam in casu, quo Colonus E. C. rem alteri tradiderit intervertendæ possessionis causâ, adhuc controversitur: affirmant *Vinn. l. de interd. §. 5. n. 2. Bach, loc. cit. th. 6. lit. E. & F. & c.* Probabilius negant *Schneid. l. §. 5. de interd. n. 186. Struv. loc. cit. th. 35. Lauterb. §. 46. h. t. Brunn. in Cod. ad leg. fin. cit.* Sustinentes hunc casum in *laud. leg. fin.* non comprehendi sed Domino præjudicari *p. l. 3. ff. § 9. ff. h. t. l. 33. §. 4. ff. de usucap. l. 29. ff. quib. mod. ususf. amit.*

Commoda possessionis plurima sunt, inter quæ tamen potiora videntur. (1) Immunitas à probando *l. §. 4. de interd.* quippè hoc ipso, quòd quis possessor est, plus juris habet, quam is, qui non possidet *l. 2. ff. uti possidetis*: Et nemini possessio auferenda, nisi actor potiora jura probaverit *l. fin. Cod. de rei vin.* (2) Præsumptio juris pro possessore; unde in dubio vel pari causa melior est conditio possidentis *l. 128. de R. I.* (3) Liberatio ab editione & justificatione tituli: *juxta l. 11. Cod. de hæred. petit.* Nisi possessori resistat præsumptio, aut res sine titulo possideri non possit, uti Regalia & beneficia Ecclesiastica. *Strick. in us. mod. de hæred. petit.* (4) Lucratio fructuum, suppositâ Bonâ Fide possessoris *l. 48. pr. ff. de A. R. D. & §. 35. l. de ver. Divis.*

Quarè non immeritò possidentes beati deprædicantur *juxta Gl. ad §. Commodum. l. de interd.* & ut *Accursius in l. cum his. de transf.* inquit: melius est unum, tene, tene, quàm centum cape, cape, propter nimiam processuum judicialium tarditatem & difficultatem.

Amittendæ possessionis longè diversa est ratio, nam non solum
B
volen-

volentibus, sed etiam invitis nobis possessio amittitur; & invitis quidem generaliter, si amplius, cum velimus, naturalem rei possessionem nanciscere non possumus *l. 3. §. 13. h. t. Vinn. l. §. 5. n. 7. de interd.* Itaque de prædio violenter dejecti, aut redeuntes à clandestinis inuasoribus repulsi, aut ob suspicionem vis majoris accedere nolentes, possessionem perdimus *l. 1. §. 1. §. seqq. ff. unde vi. l. 6. in fin. l. 25. §. ult. ff. h. t. Schneid. l. §. 5. n. 174. §. seqq. de interd.* Per lapsum quoque decennii, quo quis ad possessionem non accessit, neque verbis aut factis animum retinendi declaravit, præsumitur extincta possessio. *L. 37. ff. de usuc. Bartol. in l. sive possidetis §. ff. de probat.* modò non manserit vacans sed ab alio supponatur occupata, *Lotter. de re benef. lib. 1. quæst. 38. n. 216.* rerum mobilium possessio nobis intervertitur, quamprimùm sub custodiâ nostrâ esse desierint *l. 3. §. 13. ff. h. t.* ùti si in flumen demersæ *l. 13. eod.* si furto vel rapinâ ablatae *l. 15. eod.* licet à nemine possideantur, ignoremus autem, ubi sint, ut spes recuperandi sit deposita *l. 3. §. cit. l. 47. ff. h. t.* Volentibus nobis uno tantum modo possessio amittitur, nempe si animum possidendi deposuerimus *l. 3. §. 6. l. 19. §. 1. l. 44. §. 2. eod.* idque etiam procedit, quamvis corpore v. c. in fundo maneamus. *Vinn. loc. cit.* Nec obstat *l. 8. eod.* in quâ Paulus scribit possessionem non amitti nisi animo & corpore. Nam & qui adhuc in fundo manens constituit se deinceps alieno nomine possessurum, is non animo tantum, sed ob defectum animi corpore quoque possidere desinit, neque enim dici potest corpus possidere remoto animo, in quo solo est affectio tenendi. Hæc pro instituto de possessione dicta sufficiant: ut verò nondum habitam promptius acquiramus, acquisitam fortiùs defendamus, vel amissam illicò recuperemus, Prætor suppeditat remedia extraordinaria, de quibus jam ordine agendum.

CAPUT Imum.

De adipiscenda possessionis remediis.

§. I.

Inter adipiscendæ possessionis remedia primum locum obtinet, interdictum Quorum Bonorum, à verbis edicti initialibus ita appellatum, & est remedium Prætorium extraordinarium competens bonorum possessori contra illum, qui pro hærede aut pro possessore possidet, ad hoc, ut bonorum possessor declaretur, eidemque hæreditas unâ cum fructibus & omni causâ deoccupetur. Ita quo ad rem. *de Merzenfeldt. I. §. 1. Sect. 2. de interd.* Generatim concessum est omnibus, quibus datur petitio hæreditatis *Boeh. ad §. 2. h. t.* cum quâ licet magnam habeat affinitatem, eadem tamen inter hæc duo remedia manet differentia, quæ inter cætera judicia possessoria & petitoria: nimirum, hoc interdictum utpote remedium possessorium, celerioris est expeditionis, summarias & præsumptivas admittit probationes, respuit exceptiones longiorem indaginem requirentes in petitorio discutiendas. *l. fin. C. h. t. Bart. in l. 1. C. n. 10. eod. Boeh. de act. sect. 2. cap. 3. §. 4. Strick. de Suc. ab intest. dissert. 9. cap. 3.* E contra in petitione hæreditatis plena de omnibus inquisitio & efficacior probatio requiritur *l. 9. C. de jud. Widm. ad ff. h. t. Menoch. adipisc. poss. remed. 1. n. 97. & seq.* Directo seu ex verbis edicti experitur bonorum possessor, cui jure prætorio delata est hæreditas *l. 1. ff. h. t.* Utile sive ex mente Prætoris accommodatur hæredi, qui jure civili ad successionem vocatur *Menoch. loc. cit. n. 33.* nec interest, ex testamento, an ab intestato *l. 1. h. t. Strick. in U. M. §. 2. eod. ex asse, an ex quotâ hæreditatis parte, arg. tit. de hæred. petit. & seq.* imò hæredi scripto in re certâ, qui nullum habet cohæredem, & filio in solâ legitimâ instituto. *Menoch. l. C. n. 37.*

Et seq. Bach. Vol. 2. disp. 25. lit. G. datur quoque filio & agnato ad
 successorem feudi ab intestato venienti. 2. *feud. 26. cap. 1. Strick. in*
exam. jur. feud. cap. 24. quæst. 21. Moribus hodiernis extenditur
 non solum ad hæredes pactitios, quibus per conventionem consti-
 tuitur jus quoddam hæreditarium, uti contingit per pacta dotalia
 mixta, per unionem prolium, confraternitatem familiarum &c.
Boeb. l. cit. Sect. 2. C. 3. §. 28. Strick. de S. A. I. dissert. 8. C. 5. §. 33.
 Sed etiam ad omnes successores in dignitate vel officio ad conse-
 quenda antecessorum jura- *Menoch. l. c. n. 46. Lotter. de re benef. lib.*
1. quæst. 16. n. 26. Reus in hoc iudicio est, qui bona defuncti uni-
 versa vel quædam, post hujus mortem de facto occupata pro hære-
 de vel possessore possidet; idque vel verè, vel juris intellectu *l. 1. ff.*
h. t. titulo singulari possidens hoc interdicto conveniri non potest,
arg. l. 7. C. de petit. hæred. quoniam hic in pari causâ est cum hærede,
 ac proinde ipsius utpotè possidentis, melior conditio *Menoch. l. C.*
n. 60. ad hoc enim ut actor vincat, debet se fundare in jure aliquo
 potentiori *Schneid. l. 5. 2. n. 17. de interd.* Neque debitores hæredi-
 tarii ut pote nullius rei jurisve detentores. *l. 2. §. h. t. Zoes ad ff. n. 4.*
Struv. exercit. 45. th. 6. h. t.

Ut verò hoc remedium cum effectu in iudicium deduci possit.
 (1) Constare debet de morte defuncti, cujus bona petuntur, *l. 2.*
§. 4. quemad. test. aper. hæc si in dubium vocetur, erit probanda
 per hæredem, *arg. l. 2. ff. de probat.* (2) Actor docere debet jus
 succedendi ad te esse devolutum, id quod sufficienter probatur,
 ostensâ gradûs proximitate, aut tabulis instrumenti productis.
Strick. in U. M. §. 1. h. t. & præterea, si ex provisione prætoriâ ve-
 niat, se honorum possessionem coram iudice agnovisse. *Lauterb.*
h. t. §. 9. (3) Quòd reus possideat bona hæreditaria absque vero
 titulo *arg. l. 9. ff. l. 7. C. de pet. hæred. Carpz. p. 3. C. 33. defn. 6. Et seq.*
 dicuntur autem bona hæreditaria, non solum res defuncti propriæ
 sed omnes etiam alienæ, quæ tempore mortis apud defunctum ex-
 titerunt, uti depositæ, commodatæ, oppignoratæ *l. 19. pr. Et §. 1.*
ff. eod.

ff. eod. Menoch. l. C. n. 18. hisce justificatis reus condemnatur ad de-
occupandam rerum hereditariarum possessionem unà cum fructi-
bus, accessionibus & reliquis præstationibus personalibus, *arg.*
tot. tit. de petit. hered. est enim hoc remedium à Pratore introductum
ad similitudinem petitionis hereditatis, & dicitur iudicium univer-
sale per expressum textum *l. 1. §. 1. ff. b. t.* Neque dicas heredem
Prætorium per agnitionem modo acquisivisse bonorum possessio-
nem, ergo hoc interdicto non indiget, nam respond. illum quidem
acquisivisse possessionem juris sive ipsum jus persequendi defuncti
patrimonium, non verò possessionem facti sc. ipsorum corporum
hereditariorum detentionem, hæc enim ipso jure ad hæredes non
transmittitur, sed ut acquiratur, novà opus est apprehensione *l. 23.*
ff. de A. vel A. P. l. 30. §. 1. ff. de usuc. Nisi consuetudine aut statu-
to esset introductum, possessionem defuncti absque apprehensio-
ne continuari in hæredibus. *Gail. l. 2. O. 129. Mins. C. 3. O. 33.*
quale statutum vigere in hac Archi-Dioecesi Colon. clarè provide-
tur *in ejusdem Ord. tit. 9. §. 13.*

§. II.

Pinguius remedium suppeditatur *ex l. fin. Cod. de Edict. D. Had.*
toll., vi cujus hæres scriptus iudici competenti exhibens testa-
mentum nullo vitio visibili infectum, summariâ causæ cognitione
præcedente, impetrat immiſsionem in universa defuncti bona
Boeh. ad ff. quor. bon. Struv. exercit. 45. th. 9. eod. Directo utitur
hæres scriptus, tam verbis directis substitutus, quàm fideicom-
missarius universalis, eveniente nimirum substitutionis conditione,
& factâ per fiduciarium restitutione verbali. *Arg. l. 63. ad S Ctm.*
Treb. Brunn. ad dict. leg. fin. n. 12. Menoch. adip. poss. remed. 4. n.
178. & 206. Argel. de legit. contrad. Utile conceditur non solum
hæredi ex testamento nuncupativo in scripturam redacto, *Brunn.*
l. c. Sickard. ad l. fin. n. 4. sed etiam hæredibus conventionalibus,
B 3 modò

modò circa formam extrinsecam instrumenti Successionem pacti-
 tiam continentis nihil desiderari possit. *Strick in U. M. §. 2. quor.*
bon. de Succes. ab intest. diff. 8. C. 5. §. 34. Ad beneficium sæpe dict. l.
fin. requiritur (1) ut testamentum in originali producat, *Me-*
noch. l. c. n. 650. (2) ut nullo vitio visibili laboret, id est absit om-
 nis defectus, qui primo intuitu in oculos incurrit & ex solâ tabu-
 larum inspectione cognosci potest, uti est, imperfectus testium
 numerus, rasura, deletio, cancellatio substantialis. *Argel. de acq.*
poss. quæst. 6. art. 10. Menoch. l. cit. n. 709. Dixi substantialis, nam
 corruptio testamenti circa partem minùs substantialem non impe-
 dit hujus remedii effectum. *Achill. person. ex dict. leg. fin. Brun.*
l. cit. n. 6. minus nocet vitium latens & invisibile, quod ex ipso
 Scripturæ tenore haud apparet, sed solo intellectu percipitur,
 v. g. falsitas testamenti, injusta exhæredatio, vel præteritio, in-
 habilitas testatoris, *text. l. 2. C. de edict. Sc. Vinn. l. §. 3. n. 4. de in-*
terd. Menoch. l. C. n. 726. Concurrentibus hisce requisitis testa-
 mentum operatur paratam executionem immiſsionis in possèſſio-
 nem bonorum hæreditariorum *Besold. Conf. 267. n. 7.* rejectâ ex-
 ceptione dominii, aliisque alio rem indaginem postulantibus. *L.*
fin. cit. Menoch. n. 747. Sich. l. c. n. 17. nisi in continenti id est in-
 tra terminum executioni aliàs præfixum probari possint. *Hart.*
Pist. lib. 4. obs. 10. n. 22. Zoesff. n. 6. quor. bon. Struv. l. c. th. 23.

Unde filiam vigore testamenti paterni immittendam esse in bo-
 natam allodialia quàm feudalia, probatur *text. 2. feud. 26. cap. 1. ad*
stipulante Menoch. l. c. n. 379. limitatur tamen (1) nisi agnati pro-
 bationes in promptu habeant, bona feudalia esse talis qualitatis, ut
 à foeminis possideri nequeant. *Hart. Pist. lib. 2. quæst. 39.* (2) nisi
 agnati fuerint in possessione rei feudalis, tunc enim hi ob commo-
 dum possessionis adminiculante juris præsumptione censentur esse
 potiores. *Strick. in exam. jur. feud. cap. 7. quæst. 21.*

Impedit hujus immiſsionis effectum vitium visibile, & quilibet
 legitimus contradictor tam directus quàm indirectus. *Argel. de*
legit.

legit. contrad. Directi contradictoris nomine five per viam exceptionis venit possessor, maximè titulus, dummodo possessionem ante mortem testatoris fuerit consecutus, ex ratione manifestâ, quoniam instituens hoc remedium persequitur bona hæreditaria, qualia non sunt, nisi tempore mortis à defuncto fuerint possessa aut detenta. *l. 2. c. quor. Bon. Achill. person. de adip. poss. n. 478. & seqq.* Indirectus contradictor dicitur, qui ipse quoque hoc remedium intentat, seque in eadem bona hæreditaria beneficio hujus legis immitti postulat, v. c. producens aliud testamentum ab eodem vel à diverso testatore conditum; & in hac facti specie ob paritatem tituli de potioritate jurium viâ ordinariâ tractandum esse, probat *Argel. quæst. 2. art. 2. & 4. in tract. cit. consentiente. Menoch. l. c. n. 559. & 551.* idem pariter statuendum quando ambo veniunt ex eodem testamento & ex dubiâ circumscriptione hæredis, uterque se vocatum esse contendat, cum tamen appareat testatorem alterum tantum vocâsse. Ita *Argel. l. c. art. 6.*, ubi hanc materiam doctissimè illustrat.

§. III.

Succedit remedium Quod Legatorum, quo hæres persequitur possessionem rerum hæreditariarum ab aliis legati vel fideicommissi nomine privatâ autoritate citra hæredis voluntatem occupatarum. *l. 1. §. 1. & 2. ff. l. 2. c. h. t. Struv. l. c. th. 24.* Comparatum est hoc interdictum à Prætore tum propter interesse hæredis, nimirum detractionem falcidix aut trebellianicæ *l. 1. §. 3. l. 5. ff. eod. Brunn. ad l. un. c. n. 3. eod.* tum ad coercendam legatariorum sibi jus dicentium audaciam *l. 1. §. 1. cit. Lauterb. §. 3. h. t.* instituitur ab hærede contra legatarium, fideicommissarium tam universalem quàm particularem *l. 1. cit. l. un. C. eod. Menoch. adip. poss. remed. 2. n. 21. & seqq.* imò mortis causâ donatarium, modò substituerit donatio in solâ conventionem. *Boch. ff. §. 6. Strick. in U. M. §. 2. Struv. l. c. th. 27.* Requiritur tamen (1) ut personæ honoratæ absque vo-
lun-

luntate hæredis aut defuncti rem sibi relictam occupaverint *l. 1. §. 2. & 14. ff. h. t.* (2) ut illius interfit rem legatam potiùs retinere. *Boeh. ad ff. §. 4. h. t.* (3) ut hæres, urgente legatario cautionem præstet, de re, post exsolutionem æris alieni & falcidiæ detractio- nem restituendâ *l. 1. §. 16 & seq. l. un. C. h. t.* Hinc cessat hoc re- medium si personæ honoratæ rem sine vitio apprehenderint, puta ex licentiâ à testatore vel expressè vel tacitè concessâ, *l. 22. ff. de leg. 2. Menoch. l. c. n. 42. & seqq.* aut etiam ex voluntate hæredis post aditam hæreditatem in occupationem consentientis *l. 1. cit. §. 11. & 12.* item si hæres cautionem præstare detrectet, aut ipsius nullo modo interfit legata restitui. *Brunn. l. c. n. 5. Menoch. l. c. n. 21.* Denique legatarii occupantis audacia excusatur variis excep- tionibus, v. c. si hæres non sit solvendo, de fugâ suspectus, decoctor, persona litigiosa &c. *Hahn ad Wesenb. n. 4. in fin. t. h.*

§. IV.

Tertium adipiscendæ possessionis remedium est interdictum Salvianum ab Authore suo Salvio Juliano denominatum, quo experitur locator prædii rustici ad consequendam possessionem re- rum Coloni pro mercede pignori obligatarum *l. 1. ff. l. 1. C. h. t. Boeh. ad ff. §. 1. h. t.* longè utilius & commodius est agere hoc interdicto, quam actione hypothecariâ; quippe cum in illo sufficiat docere, rem à debitore oppignorationis tempore fuisse possessam. *Strick in U. M. §. 1. h. t. Brunn. ad ff. n. 3.* in actione verò hypothecariâ pig- nus persequens contra tertium possessorem præter nexum pignoris insuper probare debet, rem obligatam in bonis debitoris fuisse. *l. 15. §. 1. de pign. Zæs. ad ff. n. 4. h. t.* Hinc quando dubitatur an actor hoc remedium, an verò actionem hypothecariam in iudicium deduxerit, pro hoc remedio præsumendum & pronuntiandum es- se, benè observat *Strick. l. cit.* quoniam in dubio censetur quis actionem magis proficuum elegisse *Gail. lib. 1. obs. 61. n. 11.* Di- rectum

rectum conceditur locatori prædii rustici contra colonum ad persequendam possessionem tam fructuum in fundo nascentium, ut potetacitè obligatorum, *juxta l. 1. ff. in quib. caus. hypoth. tacitè contrah.* quàm reliquarum rerum in prædium invectarum & illatarum, ac pro locationis mercede pignori expressè subjectarum. *I. §. 3. de interd. l. 1. ff. b. t. Vinn. ad dict. §. 1. n. 9.* neque enim in fundum conductum illata & invecta absque speciali conventionem, nexu pignoris stringuntur *l. 32. de pig. & hypoth. l. 5. C. de locat. & cond. Widmont. ff. n. 3. b. t. Struv exercit. cit. th. 171. Menoch. h. remed. n. 36.*

Utile competit, locatori prædii Urbani contra inquilinum, & cuilibet creditori siue expressam siue tacitam hypothecam habenti. *Mind. de interd. tit. 18. num. 13. & seqq. Habn. n. 3. b. t.* contra qualemcunque debitorem ratione rerum oppignoratarum & tertium Hypothecæ possessorem, causam à debitore habentem. *Schneid. num. 7. Brunn. ad ff. n. 6. b. t. Struv. l. C. ibique Mull. Lit. E.*

Agens hoc interdicto, si constitutionem pignoris & debitoris possessionem tempore oppignorationis probaverit, consequitur rerum obligatarum possessionem. *Bach. Vol. 2. Disp. 24. th. 2. lit. G. Menoch. l. cit. n. 161. rejectâ excussionis exceptione. Habn. n. 3. Menoch. l. cit. num. 179.* Impeditur hoc remedium per idoneam debiti oblationem, per pignoris remissionem, & si de anteriori hypothecâ in continenti doceri possit. *Lauterb.*

§. fin. b. t.



CAPUT SECUNDUM.

De retinenda possessionis remediis.

§. I.

Possessionis semel acquisitæ tuendæ gratiâ Prætor duo proposuit remedia. Primum, Uti possidetis, pro rerum immobilium. *l. 1. §. 1. ff. h.* alterum, Utrubi pro mobilium possessione defendendâ *l. un. ff. h.* Utriusque tamen vis ac potestas, sublatâ, quo ad probationem, veteri differentiâ, per Justinianum est exæquata. *l. §. 4. de interd.* ita ut ille hodie vincat in utroque iudicio, qui nec vi nec clam nec precariò ab adversario tempore litis contestatæ possidet. *l. §. cit.* hoc tamen adhuc observandum, quòd, si periculum sit, ne res mobilis ex fundo vel ædibus auferatur, vel ibidem molestetur, aut impedimentum rerum mobilium fiat, non inutiliter ambo remedia cumulari queant ad tuendam utriusque possessionis causam, *Mind. tit. 15. n. 8 Strick. in U. M. ad interd. utrubi.* His suppositis interdictum, *uti possidetis* definitur: quòd sit remedium extraordinarium, reale, duplex competens possessori tam civili quàm naturali contra quovis modo turbantem, ad hoc ut actor possessor declaretur, reus à turbatione desistat & ad interesse præstandum condemnetur. Ita *Lauterb. ad ff. §. 1. h.* descendit ex jure in re, nimirum possessione non vitiosâ, id est, quam quis nec vi nec clam nec precariò ab adversario suo accepit *l. 1 §. fin. h.* adversus extraneos etiam injusta possessio prodesse solet. *l. fin. ff. de A. vel A. P.* quippe hoc ipso, quod quis possessor est, plus juris habet, quàm ille, qui non possidet. *l. 2. ff. h. t.* Directo agit, qui possessione rerum corporalium pro arbitrio liberè & quietè uti prohibetur. *l. §. 4. & l. 1. ff. h.* id quod contingit, si in prædio nostro
arare,

arare, fructus colligere, in silvis ligna cædere, aut in qualiscun- que actûs possessorii exercitio impediamur aut etiam molestemur l. 3. §. 1. cum 3. seqq. Menoch. remed. retin. poss. 3. n. 36. Post. de manut. Obs. 41. n. 45. Utile habet turbatus in quasi possessione servi- tutis aut alterius juris V.g. venandi, eligendi, decimandi &c. Schneid. n. 3. & seqq. Menoch. n. 108. & 131.

§. II.

Ratione processûs hoc remedium dividitur in Ordinarium sive Plenarium, & Summarium sive momentaneum, quæ distin- ctio fundata est in Ord. Cam. p. 2. tit. 2. §. 3. Ordinarium dicitur, in quo Servato Ordine judiciario principaliter atque absolutè su- per possessione disceptatur. Clement. Sæpè de V.S. Gail. lib. 1. Obs. 7. Summarium, in quo absque figurâ judicii & longo litis suffla- mine, solâ facti veritate inspectâ celeriter proceditur. Clement. Dis- pendiosam. de jud. l. 14. C. de Agric. & censit. hoc potissimùm locum habet, si gravis metus Scandali aut præsens subsit armorum pericu- lum l. 13. §. 3. ff. de usus. vid. Ord. Cam. p. 2. tit. 22. §. 3. ibi. *uno zweiffeliche Empörung* &c. Differentia utriusque possessorii quo ad effectum in sequentibus præcipuè consistit. (1) In Summario solummodo inspicitur nudum possessionis factum, id est, an quis possideat, unde etiam prodest nudis detentoribus, qui alias, juxta Postium, dicuntur asininam habere possessionem Strick. l. c. §. 2. In Ordinario verò insuper de qualitate possessionis disquiritur v. c. an quis, vi, clam aut precario possideat. Boeh. de act. sect. 2. cap. 4. §. 14. & seqq. (2) In illo junior & præsentanea possessio attendi- tur & sufficit, modò quis unicum actum possessorium quietum alle- gare queat. Post. de poss. Summ. Obs. 18. n. 2. & seq. in hoc anti- quior justiorque possessio spectatur. Strick. l. c. (3) In priori im- perfecta & semiplenæ admittuntur probationes, testimonium

unius, *arg. Ord. Cam. p. 2. tit. 10. §. und ob jemand. i. in verb. oder durch einen Zeugen* item duorum licet injuratorum *Menoch. l. c. n. 39.* & minus exacta requiritur causæ cognitio, *vid. Pfanfuch. in tract. de Summ. poss. lib. 2. cap. 15. n. 19.* in posteriori plenior probatio & exactior causæ cognitio est necessaria. *Gail. lib. 1. Obs. 7.*
 (4) In Summario provisionaliter & interlocutoriè judex determinat, quis lite super causâ possessionis pendente, interim possidere debeat. *Ord. Cam. p. 2. tit. 21.* In Ordinario, lis super possessione per sententiam definitivam deceditur. *Boeh. ad ff. §. 8. de interd.*
 (5) Ob momentaneum præjudicium in Summario regulariter nulla admittitur appellatio vel revisio. *l. un. C. si de moment. poss. fuerit appell. Mins. C. 6. O. 13. Pfanfuch. lib. 2. cap. 18. n. 20. & seq. E-* contra à sententiâ in possessorio Ordinario latâ ut pote summoperè præjudiciali *vid. cap. un. §. 4. vers. commoda.* permittitur appellatio *Gail. l. 1. O. 7. & O. 174. n. 9.*

§. III.

Fundant hoc remedium possessio, & turbatio, quæ duo aëtori probanda incumbunt. Variis porrò modis probatur possessio specialiter, per insistentiam rei. *Post. Obs. 19. & seq.* per culturam agrorum *l. 4. C. de A. vel A. P.* perceptionem fructuum *l. 2. Cod. eod.* & solutionem pensionum, quæ fructuum loco habentur *l. 58. ff. de usuf. ex censuum & collectarum exactione & præstatione, onerum & servitorum exhibitione Bald. in l. 8. C. de act. emp. Menoch. l. C. num. 530.* per usum & exercitium Servitutis aut alterius juris v. g. actum venationis, aucupii &c *Bald. in l. 2. num. 54. C. de servit.*

Alterum aëtori probandum sc. turbatio, est actus, quo possessor alterius dolo aut culpâ rem suam liberè quietevè possidere, eâvè uti impeditur, *Struv. exercit. 42. th. 27.* illud verò contingere potest in - vel extrajudicium, in judicio; negando adversarium possidere,

fidere, simulque se solum possessorem asserendo *l. i. §. 3. h. ex decreto* iudicis invalido possessionem ingrediendo *Menoch. l. C. n. 474.* item sequestrum alienæ possessionis à iudice injustè impetrando. *Felin. in cap. licet causam n. 11. de probat.* Extrajudicium; asserendo se habere jus vel servitutem in re alterius *Bart. in l. Mæv. §. Fundo de leg. 2.* auferendo aliquid ex re alterius *l. 3. §. 4. ff. h. gerendo se circa rem ab alio possessam tanquam suam, vendendo eam, locando, arborem plantando, possessionem invito possessore ingrediendo* *Menoch. n. 481. & seqq.* resistendo & opponendo se possidenti. *Struv. exercit. cit. th. 29.* arma & insignia de loco aliquo delendo *Menoch. n. 502.* prohibendo censum vel vectigal aut reditus exhiberi *Joan. Fab. §. retinendæ n. 14. inst. de interd. Rebuff. in Gloss. 2. n. 28.* cessando à præstatione ejus, quòd ex jure quodam alteri jus possidenti debetur *Struv. l. C. th. 30.* generatim, qualemcunque molestiam atque incommodum aut impedimentum in possessione aut exercitio alicujus juris asserendo. *Menoch. n. 503.*

§. IV.

Hic se offert non levis & in foro quotidiana difficultas: nimirum quomodo in hoc judicio duplici iudex pronunciare, utrive possessionem adjudicare debeat in casu, quo uterque colligans probat se actus possessorios v. c. in flumine aut silvâ litigiosâ exercuisse? DD- in diversa abeuntibus, tutissima & optima mihi videntur illorum sententia, qui sequentibus distinctionibus hanc difficultatem expediunt. Si enim (1) uterque probavit se justè nec vi nec clam nec precariò possidere, is obtinebit, qui validioribus & efficacioribus probationibus v. g. per testes numero plures, opinione integrioribus & depositione probabilioribus possessionem suam demonstravit. *l. 21. §. fin. ff. de test. cap. 32. X. de test. Cravet. Consil. 6. n. 50.* probationes enim meliores & efficaciores, ubi cætera sunt paria, ita obscurant atque debilitant minùs efficaces, ut credantur

minùs veræ , *juxta Menoch. n. 718.* (2) Suppositâ probationis æqualitate is præferendus est , qui possessionem docuerit antiquiorem , ita deciditur *in C. licet causam 9. de probat. Bart. in l. si duo. n. 4. ff. h. t. Maranta in praxi benefic. p. 2. dist. 7. n. 17.* possessio autem junior & recentior , cum duo insimul eandem rem & eodem modo possidere non possint , præsumitur esse clandestina & vitiosa. *text. cap. licet causam. Engel. n. 6. de caus. poss. & propr.* (3) si uterque ab æquè antiquo tempore possessionem suam deduxerit , tunc victor existet , cujus possessio titulo est munita. *text. cap. cit. ibi : maximè quoddam justum possessionis titulum non ostendat. Bart. l. c. Bald. in l. ordinarii n. 7. C. de rei vind.* quoniam titulum demonstrans , *ajit Menoch. n. 734.* potiora jura habere creditur (4) Si utrimque omnimoda supponatur æqualitas , juri magis conveniens esse videtur sententia asserentium , à judice pronuntiandum esse *juxta formam interdicti : uti possidetis , ita possideatis ,* nimirum ut ambo communiter & pro indiviso possideant. *arg. Cap. licet causam. Peretz in C. n. 15. & seqq. h. t.* ita enim fiet , ut quisque tantum obtineat , quantum probavit *juxta l. 3. ff. h. t.* huic sententiæ , si partes nolint acquiescere , sed ad novas deveniant turbationes & privatis utantur violentiis , eo casu Judex possessionem sequestrabit , donec inviolabilem ineant transactionem , aut instituto petitorio de jure proprietatis appareat. *Engel. l. c. n. 8.*

Sequitur altera non prætermittenda quæstio : an causa possessionis & proprietatis in eodem libello cumulari possint ? Ante cujus resolutionem advertendum (1.) instituto solo possessorio judicem regulariter pronuntiare non posse super petitorio , & vice versâ. *L. 18. ff. de comm. divid. Carpzov. lib. 1. resp. 71.* sententia enim libello debet esse conformis *l. 1. §. 2. ff. quæ sent. sine appell. & c. Carpz. lib. 3. resp. 97.* (2) quæstionem hanc minimè intelligendam esse de Successivâ & Subordinatâ possessorii & petitorii cumulatione , certi enim juris est , eum , qui vindicare coepit , posse relicto sive suspenso interim petitorio ante conclusionem in causâ (refusis tamen expensis)

recurrere ad possessorium. l. 12. §. 1. ff. de A. vel A. P. Cap. 5. X. de caus.
 poss. & propr. post conclusionem verò talis mutatio auctori non per-
 mittitur, nisi iudex hoc ipsum ex justâ causâ viderit expedire, puta
 cum ex perspicuis indiciis facile arguitur iniquitas alterius possessoris,
 vel casu aut malitiâ facultas probandi dominium fuerit subtracta. Cap.
 cit. & clement. un. de caus. poss. & propr. Status igitur quæstionis
 procedit de cumulatione simultaneâ, an possessorium & petitori-
 um simul in eodem libello proponi, & unâ eâdemque iudicis sen-
 tentiâ terminari possint? Licet DD. passim negent cumulationem
 in interdîcto retinendæ possessionis locum habere, verùm litium
 citiùs finiendarum gratiâ non minùs in hoc quàm in reliquis ac-
 quirendæ & recuperandæ possessionis remediis hanc cumulatio-
 nem admitti posse probabiliùs sustinent arg. Cap. 4. & 6. X. de caus.
 poss. & propr. Zoes. ff. n. 7. & ad Decret. de caus. poss. & propr. n. 6.
 Vallens. ad Decret. lib. 2. tit. 12. §. 6. Engel. l. c. n. 9. Insignis autem
 est hujus cumulationis effectus, ut iudex prætermisso petitorio
 vel eodem ulteriori deductioni reservato super solo possessorio
 pronuntiare possit. Carpz lib. 1. resp. 71. n. 3. Quid si & pos-
 sessorium & petitorium eodem tempore liquida appareant? tum
 utrumque unâ sententiâ erit determinandum, ita tamen ut posses-
 sio sit quidem præmittenda in pronuntiatione, in executione verò
 prævalere debeat proprietatis. text. Cap. cum ecclesia, & Cap. cum
 dilectus. De caus. poss. & propr. Hinc utique contingere potest, ut
 iudex tam pro auctore, quàm pro reo in unâ eâdemque sententiâ
 pronuntiare debeat, si is possessionem, hic verò proprietatem præ-
 baverit arg. Cap. cum ecclesia. quem pronuntiandi modum cum
 Donello tanquam ridiculum explodit Vinnius quæst. Select. lib. 11.
 Cap. 49 falso sibi persuadens, ac si reus juberetur possessionem
 restituere auctori, qui possessor est, & simul eodem momento,
 eâdemque sententiâ juberetur idem auctor eandem restituere reo,
 qui dominus est & superior in jure proprietatis: sicque auctori, in-
 quit, planè inutilis erit victoria in possessorio obtenta. Sanè, talis

si prodiret sententiæ forma, non immeritò ridicula videri posset, cum iudex, quod unà manu daret, alterà illicò auferret, sicque otiosos admitteret circuitus in iudiciis maximè vitandos. Sed longè diversam in hac facti specie jurisque principiis maximè respondentem ferri Sententiam, disertè apparet *ex cit. Cap. cum ecclesia.* ubi Pontifex pro spoliatis quasi possessione juris eligendi quidem pronuntiat in possessorio, irritando electionem ipsis contradicentibus factam, nihilo tamen minùs (cum proprietas juris eligendi ad spoliantes pertinere appareat) illis sc. spoliatis super electionibus faciendis eadem sententiâ perpetuum imponit silentium *vid. dict. Cap. ex quo colligitur Sententiæ in possessorio latæ executionem impediri, si de jure potiori alterius simul appareat, concordat Cap. cum dilectus.* sed, inquires, quid prodest Sententia in possessorio lata carens executione? respondet cum *Berlich. p. 1. decis. 7. Strickius in U. M. §. 6. h. t.* Victorem in possessorio, licet victum in petitorio, excusari à restitutione fructuum post litem contestatam perceptorum & ab expensarum refusione liberari: ecce effectus satis pingues & minimè contemnendi. A potiori igitur citatus Author in sinistrè apprehendendo modum pronuntiandi Pontificis ridiculus videri poterit.

CAPUT TERTIUM.

De recuperanda possessionis remediis.

§. I.

AD compescendam Prædonum audaciam Prætor introduxit interdictionem, Unde vi, quo succurrit, possessione suâ spoliatis eorumque hæredibus, contra Spoliantes ad illicò recuperandam possessionem unà cum fructibus & omni causâ *l. 1. §. 6. 31. 40. ff. l. 2. §. 4. C. h. t. Struv. exercit. 45. th. 101.* Necrefert an quis

quis vi dejecerit per se, an per alium, jubendo, mandando, aut dejectionem suo nomine factam ratihabendo *l. 1. §. 12. §. 14. ff. b. t.* Directum datur dejecto de possessione rei immobilis *l. 1. cit. §. 3.* hic jung. *cap. un. §. 4. vers. amittendae*; etiamsi vi, clam aut precario eandem ab adversario suo sc. deiciente fuerit consecutus. *l. 1. §. 30. l. 14. ff. b.* id quod intelligendum, si secunda dejectio ex intervallo contigerit *l. 3. §. 9. ff. b.* nam si primò dejectus in continenti & fervente adhuc congressu possessionē suam à deiciente etiam per vim & propriâ autoritate recuperaverit, non tam alium dejecisse, quàm possessionem suam defendisse censetur *l. 17. ff. b.* Neque hic incidit in poenam *l. si quis in tantam 7. Cod. Unde vi*, quoniam in continenti vim vi propulsare licet *l. 1. §. 27. l. 3. §. cit.* & quod fit jure permittente, poenam non meretur *l. Græchus 4. C. ad l. Ful. de adult.* recuperare autem dicimur in continenti, infra paucos vel multos dies arbitrio boni viri seu judicis, determinandos pro qualitate personarum & rei, ex qua quis dejectus est *Bart. in dict. l. 3. §. 9. post. Gloss. ibi in verb. ex continenti arg. l. 137. §. cum ita ff. de V. O.* ac proinde, si Dux aut princeps de castro suo expulsus, infra decem annos in vasorem rursus expellat, dicendum erit, recuperationem esse factam in continenti, modò interim apparatus necessarios, convocando amicos, parando arma, adornaverit, nec unquam diligentia in recuperando fuerit prætermisssa. *Gloss. in cap. Olim. super verb. statim.* huc facit recessus de Anno 1548. von Poen der Friedbrecher *in fin.* ubi dicitur: dem Beschädigten gegen die Friedbrecher und Beschädiger sein Gegengewehr und Verfolgung zu thuen auff frischer That oder wan er seine Freunde zu Helfferen haben mag, unbenommen seyn soll. Utile competit spoliatis quasi possessione rerum in corporalium *l. 3. §. 15. §. 17. ff. b.* Unde prohibens uti jurisdictione, recusans solvere annum censum, vectigalia aut servitia exhibere detrectans rectè hoc interdicto conveniri poterunt. *Gail. lib. 2. Obs. 75. Menoch. remed. recup. poss. 1. n. 81.*

§. II.

AD res mobiles separatim & principaliter consideratas non pertinet. *l. 1. §. 6. & 32.* si tamen res mobiles è fundo aut ædibus, unde quis dejectus aut expulsus est, simul vi ablata fuerint, in consequentiam hoc interdictò quoque comprehenduntur, quoniam spoliatus in pristinum statum, in quo ante dejectionem reperiebatur, plenissimè est restituendus *l. 14. l. 19. ff. h. t. Lauterb. §. 14. h. t.* Neque singularem spoli possessorum sive bonæ sive malæ fidei stringit hoc remedium *l. 7. ff. h.* Ex jure autem Canonico, quod utriusque fori praxis observat teste *Gail. lib. 2. Obs. 75. & Mins. C. 3. Obs. 85.* generalius & pinguius remedium habet spoliatus contentum in *Can. redintegranda. Caus. 3. quæst. 1. & cap. sæpè contingit. 18. X. de restit. spoliat.* Ubi sine rerum, temporis, loci aut personarum differentiâ vim passi integerrimè restituuntur contra spoliantem & tertium spoli possessorum, qui si spoli concius sit, contra eum agi posse, indubitata est sententia; *si quis enim scienter rem talem receperit spoliatori quasi in vitium succedit, eo quod non multum inter sit quoad periculum animæ injustè detinere aut alienum invadere.* Verba sunt Pontificis *in cap. sæpè contingit.* Quid autem, si quis rem spoliatam bona fide comparaverit, an cum eo ex *Can. redintegranda*, agi possit? controversatur: Verior & æquitati magis conveniens videtur illorum sententia, qui Odium spoliationis contra B. F. possessorem minimè extendendum esse sustinent, asserentes generalitatem locutionis *Can. redintegranda juxta cap. sæpè contingit*, utpote posterius explicandam esse, *Eximius Pater Schmitz in Medul. jur. Can. quæst. 1. de restit. spoliat. Engel. n. 18. Joes. n. 5. Pirrb. n. 109. dict. tit. Menoch. remed. recup. poss. 15. n. 80. & seqq.* ubi hanc quæstionem fuse deducit.

Actore probante possessionem & spoliationem, reus omnia cum integritate restituere, damna plenariè refarcire & de illatis injuriis satisfacere compellitur. *Cap. Episcopus caus. 3. quæst. 1. cap. 11. X. de restit. spoliat.* Unde non tantum habetur ratio fructuum percepto-
rum

rum sed etiam percipiendorum ex die dejectionis & personâ dejecti æstimandorum. *l. i. §. 31. & 40. ff. h. cap. 11. cit.*

Veniunt quoque in hanc restitutionem res mobiles, quæ si etiam absque dolo aut culpâ prædonis perierint, præstanda erit æstimatio *l. i. §. 34. & 35.* & in defectum aliarum probationum permittitur spoliato damnum & interesse juramento in litem æstimare, præviâ tamen judicis taxatione *l. 9. C. h. t. Gail. l. c. Mins. C. 4. Obs. 12. Brunn. ad l. 9. cit.* Pro Coronide sit consilium prudentissimi Caji *in l. 24. ff. de rei vind. monentis ut is, qui destinavit rem petere, animadvertat, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem, quia longè commodius es, ipsum possidere & ad verfarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere.*



C O R O L L A R I A.

1.

Salvâ regula: *delicta tenent suos Authores*: actiones ex delicto descendentes rei persecutoriæ de Jure Canonico etiam passivè transeunt ad hæredes.

2.

Rescripta gratiæ sub aut obreptitiè impetrata sunt ipso jure nulla, justitiæ verò ope exceptionis.

3.

In illis tempus datæ, in his præsentatæ attenditur.

4.

Non ut electus ante confirmationem, ita Postulatus ante admissionem jus aliquod habet.

5.

Licet ad actus Capitulares aliàs sufficiat major Capituli pars, ad postulationem tamen cum electione concurrentem duæ ad minimum tertiæ Capitularium requiruntur.

6.

Resignationes in favorem tertii solum coram Summo Pontifice, simplices autem uti & beneficiorum permutationes coram Ordinario fieri possunt.

7.

In nullâ causâ Criminali vel civili judex sæcularis authoritate propriâ Clericum ad suam tribunal trahere potest.

8.

8.
CLericus etiam in foro rei sitæ conveniri potest, non tamen coram iudice sæculari.

9.
Resignante infra viginti dies à die præstiti consensûs computandos mortuo, beneficium vocat per mortem.

10.
Regulæ *de viginti* uti & aliis Summorum Pontificum constitutionibus derogari posse praxis docet quotidiana.

11.
Novitii dispositio inter vivos licet jurata etiam in favorem piæ causæ viribus caret, nisi fiat intra duos menses proximos ante professionem cum Episcopi licentiâ, & professio sit subsecuta.

12.
Fundans, ædificans aut dotans ecclesiam jus patronatûs acquirit.

13.
Præsentato à Communitate quâ tali non sufficit votorum majoritas respectiva sed necessaria est absoluta.

14.
Clericus præsentans indignum pro illâ vice privatur jure patronatûs, laicus præsentato uno, alium præsentare potest non privativè sed accumulativè, uti loquuntur Canonistæ.

15.
Jus patronatûs transmittitur ad hæredes cum universitate bonorum.

16.
Reale cum re, cui est annexum, accessoriè in quemcunque acquirentem transit.

17.
Per se & principaliter donari nequit personæ vel laicæ vel ecclesiasticæ sine Episcopi consensu, Ecclesiæ autem absque illo cedi potest, uti & Compatrono.

18.
Juste exhæredatus partem facit reliquis in legitimâ institutis.

19.
Exhæredatus à querelâ exclusus partem non facit, in querelâ concurrentibus.

20.
Fratrum filii, quando soli sunt, non minùs de jure Justiniano quam Germanico succedunt in Capita.

21.
In successione fratrum consanguineorum & uterinorum, aut etiam ascendentium non est facienda bonorum discretio.



22.
Ad amissionem feudi ob feloniam requiritur sententia condemnatoria.

23.
Feudum antiquum ex delicto Vasalli in personam Domini amissum post mortem delinquentis ejusque descendendum revertitur ad agnatos.

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Inches

TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



TIFFEN Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007